... s Franciscus.

Synecensis Monasterii Stylus aureus.

Albrychtowicz Fortunatus

STYLUS AUREUS
AB
AVITIS STARZENSCIORUM ARMIS
SVBTILIS ET SVBLIMIS
Æstimandis Virtuti & Eruditioni;
PERILL. & R. DOMINI
LUCÆ FRANCISCI
STARZENSKI
INCLYTI LVBINENSIS MONASTERII
PRIORIS
CONGREGATIONIS BENEDICTINO POLONÆ
VISITATORIS
ACCOMMODATUS
Dumquè
IN ALMA UNIVERSITATE CRACOVIENSI
Per
PERILLUSTREM REVERENDISSIMUM DOMINUM
D. M. CASIMIRUM
PAŁASZOWSKI
Sacræ Theologiæ DOCTOREM & PROFESSOREM, Collegam Majorem, Ecclesiarum, Cathedralis Cracoviensis CANONICVM, Collegiatæ OO. SS Crac: PRÆPOSITVM, Parochialis in Czerniechow CVRATVM, Scholarum Novodvorscianarū & Contubernii Hierosolimytani PROVISOREM. Canonizationis B. IOANNIS CANTII PROCVRATOREM, Librorum per Diæcesim Cracoviensem Ordinarium CENSOREM.
SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTOR
In Amplissima Illustrissimorum Hospitum Corona
RITU SOLENNI
RENVNTIARETVR.
Applausûs ergò
Gentilitiæ SAGITTÆ Calamo
IN PETRA TYNECENSI
EXARATUS.
Annô quò
Digitus Altissimi Sæculis æternis Aureo Stylo Verbi compendia scripsit. MDCCLII. Die 9. Novembris

Cracoviæ Typis Michaelis Josephi Antonij Dyaszewski, S. R. M. Typographi.

Jn Gentilitium Insigne Inclytæ
STARZENSCIORUM
DOMUS.



Imo.
Siste Sagitta! Tuo celeri quò pelleris ausu
Terminus an non est? Laurea docta Tibi
Tangere si tendas DOCTORIS præmia summa
Transcendes cursu sidera celsa Tuo.
2do.
A splendore Crucis semper Victoria fulget
Hæc Geminata dabit mille trophæa Lucæ.

Applaudit NEO-DOCTORI & quondam suo Professori

D. AMANDUS JANOWSKI O. S. B. Actualis Phiæ Lector & Profr. ArchiCænobij Tynecensis Professus & Secretarius.

PROPHASIS
DEDICATORIA

DVm Te prosperè ad supremum Doctoralis fastigij Apicem inauguratum votis solemnibûs Benedictina complectitur felicitas, etiam singulari hac gratulatione Discipuli prosequitur affectus NEO-DOCTOR Dignissime. Non licuit olim vacuis manibus Laurêta Limina accedere, quamobrem ne & affectus meus coram te vacuus videatur, donum hoc exiguum & gratulationem Tibi importat. Importat gratulationem Orbi Literario, Tibi Professori meo gratiosissimo, & Sacro Ordini Benedictino Tua nunc promotione ad gloriam majorem promoto. Gratulor illi electionem, Tibi Lauream Doctoralem, isti felicitatem. Congratulor Orbi Literario, quod Te Virum doctissimum; quem Avitæ & propriæ virtutes dignum fecerunt, promovit tandem; quò destinabant omnium vota, & ab annis jam multis præsagi Discipulorum propellebant applausus. Gratulor Tibi Lauream Doctoralem, quem sublimis scientiæ excellentia Doctorem fecit, qui licet in Recentiorum Schola enutritus; antiquam tamen & genuinam D. Thomæ doctrinam in omnibus secutus, eandem non solum privatim docuisti, sed etiam publicè rationibus solidissimis propugnasti; Cujus facillimam argumentandi methodum stupebant domestici; venerabantur exteri, deprædicabant universi. Gratulor deniquè Benedictino Ordini, quod Te NEO-DOCTOREM nactus sit novum sui Athlantem; qui ejus oneri Tuum supponens humerum pondus immensum sustineres. Suscipe igitur gratula-

tionem quam offerro observantiæ meæ erga Te testem; & licet non sim illius ingenii, quo possim merita Tua verbis adæquare & virtutes sufficienti celebrare præconio; debita tamen eas veneratione suspiciam, & illo Stylo exprimam; quem subministravit sinceritas, quam majoris facis, adulatione fuco erudito onusta. Ergo siquidem Ordinis Sacri Regimini es admotus, Tibi non potes vivere, vive DEO, vive amplissimæ Religioni Benedictinæ, & quantum negotia sublimiora permittent, vive Literis & perge earundem Professores diligere, & inter ipsos Laurea Doctorali in hac Alma Universitate Cracoviensi decoratum.

Addictissimum Tuum *olim* Discipulum

Don. CAS. FORTUNATUM ALBRYCHOWICZ
ArchiCænobij Benedictini Tynecensis
Priorem & Custodem.
AUTHOREM OPERIS.

STYLVS AVREVS
Jntra Lineas
Inclytæ STARZENSCIORUM Domus,
DISPOSITUS.

Æstus laboris eruditi,
Si quando doctis mentibus pretiosam accendit sitim;
hanc maximè circa honoris auxit meridiem,
ad Tagum Tullianum extinxit.
Sitiunt plerumq; Honoriorum laudes calami,
qui ut se benè temperatos probent,
sitim non temperant
donec aurum pro sepia bibant
non quodvis sed primum;
quo & verba ponderent,
& summam encomiorum aureo sub numero ponant.
Pari sub pondere æstus, Laudatoris desudat penna.
ut dum caput sudoris gemmas,
hæc aureum fundat in paginam Stylum,
Aurei Viri in elogium.
nempè
Perill: R. Domini LUCÆ FRANCISCI
STARZENSKI
Sacræ Theologiæ NEO-DOCTORIS
Congreg: Benedict. Polonæ
VISITATORIS
Quem ab aurea, qua enitet mente,
Summa sequuntur omnia.
Cujus præstantissimas animi ingenijq; dotes,
quæ solidæ virtutis pondus & robur habent,
publici judicij Lydius
probat æstimandas.
Verùm festina lentè calame
ne levitatis incurras censuram,
hæc enim calamis imminet calamitas,

quoties properè non prosperè agunt.
Character hic laudum, quem formare intendis;
primus est?
Vt omnia rectè de NeoDoctore scribantur;
intra Lineas STARZENSCIANÆ Domus meritò disponendus,
In qua, Fortuna Magnæ domestica Prosapiæ
ditiora opum recondidit cimelia,
quam felix ad fastum jactat Arabia,
vel dives in suo sinu Pactolus nutrivit ad invidiam;
In quam Honor grandia Dignitatum decora congessit
Primisq; titulorum pretiis augens
auream fecit.
Ex qua ferreo sæculo
plus quàm aurei prodiere STARZENSCII;
Qui auream Poloniæ revocando Libertatem,
duras hostium cerviees
Triumphales suæ Sagittæ sinuarunt in Arcus.
Quæ nunquam ire visa retrorsum,
nisi cum nuntio Triumphi & Gloriæ.
Quinimò
Auxiliaris hæc STARZENSCIORVM Sagitta
dabat semper nova præsidia Regno,
eò felicitate majori,
quò firmiori geminatæ Crucis subsidio,
ceu Cælestibus subnixa armis
bellabat securiùs, certiùs triumphabat.
Descripsit Poloni Gloriam Regni
ejus Calamus,
cujus compendiosam epitomen,
in STARZENSCIORVM armis habes, ut legas,
extant characteres, quos dextra Martis expressit,
non delevit vetustas, quos exaravit virtus heroica.
Sed nôrint antiqua & nova sæcula STARZENSCIOS
Quibus satis ad elogium esto.
quòd amplissimis suis meritis
in Ecclesiam & Patriam
id totum excedant, quod de illis cogitatur in summo,
ibi suæ Magnitudinis mensuram habituri
ubi immensum est, quod Heroas coronat optimos.
Nos interim compendia loquemur & sæcula in uno
Qui solus omne decus repræsentat Avitum,

quasi

quasi id totum possederit
quod tanto temporum tractu ad eum devolutum
collectæ diu magnitudinis effecit capacissimum.
Cujus jam primam accedimus & accendimus lucem;
ut clariùs videat Orbis;
quàm pretiosam Stylus noster
de NEO DOCTORE scribendi
induit Materiam.

FORMA
STYLI AUREI
PRIMUM NEO DOCTORIS TYROCINIUM.

Jllustrem STARZENSCII Ortum
vel ipse videre desiderâsset Aurelius,
si Vir aureus illo tempore contigisset.
in cujus pretiosum Sanguinis obrysum,
sæcula gemmea diu laborârunt,
antequam eum in sinu aureæ Libertatis posuerunt.
Prodiit hic in lucem extra Vmbriam, quia LVCAS,
natus in Majori Polonia FRANCISCVS.
Quæ illi ingentes Spiritus, Nobilitatem hæreditariam
& lucis dedit LVCÆ usuram,
Hunc recèns Natum
Charites ulnis exceperunt,
Genio Cælesti ad docendum & regendum apto
cumulârunt.
Nobilissima & amabili Indole ditaverunt;
toto impetu in honestum euntem,
velocisq; ætatis annos virtutibus antecedentem;
quibus cùm adhuc palmam explicare non posset,
herbam porrigebat
ne cum tædio ejus expectarent annos,
Sed quos in alijs adeunt, in illo prævenirent.
Si prima fascia innodatum Naturæ evolvit arcanum;
hic infantilibus corpus vix enodavit fascijs
doctis fontibus baptisatus
eruditis alligavit se fastis;
in quibus primas tenerioris vitæ lineas

ipſis virtutum punctis diſtinguebat.
Nihil tunc puerile in Illo obſervatum
præter annos.
Intra domeſticos parietes ea peragebat facinora,
quæ ſole publico fuere digna.
quidquid egit nobiliſſimi ſanguinis Iuvenis hæres,
STARZENSCIORUM Domus non erubuit.
Mirabatur Natura
quòd tantum in exiguo corpore poſſet.
Gemmavit enim ita tenellus Puer,
ut quos daturus erat Adoleſcens flores
gemmas præſtolarentur omnes vel gemmeos.
Et hæc magna virtutum indicia
ſummum præſagiebant Doctorem
STARZENSCIUM.
Ita quippe non vano felicitatis augurió
Quis olim quiſq; futurus ſit;
Indoles maxima quæq; ſpirans
virtuteſq; ipſæ
in adoleſcentia tanquam in herba ſignificant:
Viam Viri in adoleſcentia
Sapientiſſimus virorum ignoravit;
hanc in ſe optimè
Adoleſcens STARZENSCIUS demonſtravit;
poſſeq; in adoleſcentia Virum eſſe,
ſi adoleſcant & mores
comprobavit.
Qui ex more temporis
Teneriori conſecratus Minervæ
Ætate quidem adoleſcens ſed Vir ingenió,
illud maximè verſabat in animo,
quid de eo Superi, quid fata decernerent?
quæ anticipans.
illa gloriæ & ingenij amuſſi,
Minores Palladis emetiebatur ludos,
quam ſua pro tunc ferebat ætas.
Sed quæ capacitas
Domeſticis Laribus capi non poterat,
Eam ampliſſimus Benedictinorum excepit Ordo.
Aureus planè adoleſcens aureæ debebatur Religioni,
quàm

quàm Ssmus Patriarcha fundaturus,
intra terræ viscera clausus
concepit auream
BENEDICTUS.

CLARITAS
STYLI AUREI
VOCATIO SANCTA
Religiosusq; NEO DOCTORIS
NOVITIATUS.

Clariorem hâc vidit diem nullam
Lubinium,
sacer NEO DOCTORIS Professionis Locus,
quàm dum Lucam futurum Doctorum Lumen
stellarum in sinu complecti meruit.
Sidera, Clarum Stemma Lubinij,
à quo si luminum dicitur Metropolis?
Domus LVCÆ tota siderea,
& Cella in Cælum abijt.
Testes duodecim profero signa Zodiaci,
quæ annuo Novitiatûs cursu,
metatus est tanquam virtutum metas.
Dicat ARIES vellere dives aureo,
quomodo vilis sibi erat FRANCISCVS nec pretiosis inhiabat
Otia ejus si loquatur TAVRVS?
nunquàm otiosum testabitùr, sed operosum ubiquè,
aut operi ferventem, aut oratione fervidum.
Hinc illum geminæ vitæ Heroem
GEMINORVM par prædicat;
Retrogradum vel semel à recto
hunc refugus CANCER miratus nullibi;
jam suos inter radios
agnis leniorem
Sua tamen magnanimitate majorem
ubique demiratus est LEO,
eò in regno virtutum mitior,

 quò

quò vitiorum ferocior in bello:
Castam ejus mentem
castum Sidus VIRGO testatur
Tractabat dum Divina sive humana agebat
vendebat terrena ut emeret Cælestia
utraquè illum librare docuit LIBRA.
Verborum lepores
summæ prædam perfectionis
Avita cum ARCITENENTE jaculabatur sagitta;
His cum sale
ad Scholam suam advenas
futurus Doctor
humanissimè tractaturus,
adijt CAPRICORNVM sed cum fædo nullum pepigit fædus;
Hausit Cælestis AQVARII latices
Iejunio plùs alitus quam cibo.
Subijt tandem PISCIVM Domum
ut ea tacendo edisceret
quæ Doctor loqueretur docendo
Hoc NEO-DOCTORI Novitiatus fuit curriculum
Qui veteranam Novitius
Cunctis exhibuit probitatem.

SOLIDITAS

STYLI AUREI

SACRA PROFESSIO

atque

Virtutum & Literarum

NEO-DOCTORIS STUDIA

Antiquæ ruinam ne metuas Observæntiæ
Lubinium!
Laterano si supposuit humeros Assinas
Polonus fulciet Lubinium
FRANCISCUS
Filius Ordinis factus jam virtute senili patrisat
docebit non malè Professor

Qui

Qui vota Religionis bene distinxit Professus;
eget quidem Magistris
non ut doceatur, sed ut rigores dediscat Monasticos;
splendidissima enim virtutum in Gymnade
altero sub Chirone Achilles alter
Major Doctore Discipulus
sectetur seu virtutes, insequatur seu vitia
utraquè in acie
tot admiratores facit, quot æmulatores habet.
Movet dubia
an Ille virtutibus, an Illi sint innatæ virtutes?
utrumque ex asse probat
Omnium virtuosissimus
hinc à Sacra Religione
eruditæ studentium adjungitur Coronæ
Flos doctis Floribus
Caput aureum
corpori aureo.
Proficiscuntur alij ad exteros & non proficiunt;
Passiones enim animi externis non emendantur plagis
Lustrant exterorum oras
& illustriores non redeunt,
Quia frigidum ad doctrinam animum sol alienus non accendit;
Romam adeunt
à nativa tamen ignorantia
plenariam non consequuntur indulgentiam
sorbere cupientes Sorbonam
Liliatum Regnum invisunt Galliam
& florem eruditionis
doctis valentem folijs non referunt.
Hic Lutetiam Parisiorum non adijt
ne Styli Aurei læderet puritatem
sed tantum sapuit in Patria
quantum post lustratas solis exotici plagas
non sapuerunt alij nec sapiunt.
Domi de fontibus sapientiæ tantum hausit
ut nunquam sub æstu laboris eruditi de alieno sitiret,
Eum se in schola monstravit Discipulum
ut posthac Professorem ageret doctissimum
Argumentorum fila semper formabat subtilia
quæ tanti fuere roboris

ut nullis possent præscindi sectis:
Adeò domi impallescebat libris, ut in publico non erubesceret
Nullum erat Librorum caput, quod de illo bene non sentiret
Nullum à quo eruditionis ejus initia
majoribus non exprimerentur literis
Nullum quod suo non caperet,
Nulla linea quam in eruditam suam frontem non transferret;
Nullum librorum folium
quod illi Coronam non texeret,
Nulla litera quæ in syllabum encomiorum ejus non abiret;
& ita
Professorales laureas ad docta tempora sua
cùm tempore provocavit
humidum radicale ijsdem sudore parando
non minus easdem ornans
quàm ornatus ab illis.

SVBTILITAS
STYLI AUREI
Publica cum Laude
Philosophicæ & Theologicæ
CATHEDRARUM
NEO-DOCTORIS
MODERATIO.

Professor ex Cathedra docet
Discite Discipuli?
calamos otiari non decere;
si ita sublimatur Magister
elevatissimis vestris mentibus enitendum
ut quæ tractat profundè
Stylo sublimi celebrentur.
Retractat Recentiorum sententias
Recens Aristotelis simul & Thomæ amicus
Quid quid infans eorum egerat Philosophia
tam scitè edisserit

Quasi

Quasi vagitum nascentis audivisset
Sole Thomistico adversas opinionum depellit noctes
Aquinatico torque sectariorum costringit licentiam,
veritas Philosophica nunquam clarior visa
quàm ad mentis ejus splendorem,
quo in obscuris prælucente
nunquam ad lapidem offendit Philosophicum.
Audiebatur de stoæ Pulpito ut oraculum
Quid quid concessit ratio status Philosophici non negavit;
Qvid quid negavit ille affirmabat qui solem negat,
Quid quid evidens asseruit ille non videbat
qui tenebras palpat in meridie
solvebat argumentorum nodos & dubia
Quæ alibi starent sine dubio
unde haberet quod ipse disceret Aristoteles
si in illius Schola compareret.
Qui ut se subtilem probaret
Professoralibus instructus pennis
super Theologjcum Mare
ferebatur velut Spiritus,
Ingenii tamen sui profunditate
ibi fundum tangebat ubi abyssus videbatur
Intra Divinas artes sapuit supra hominem,
Placuit omnibus illius ingenij humilitate temperata divinitas
Qui quoties de Divinis tractaret
Divinus Plato hominem se cogitabat.
Primarius Theologiæ Professor
mediam exclusit scientiam
Lux mentis illius, fidei obscuritatem imminuit
de qua tam clarè disserebat,
ut veritatem ad oculum exhiberet.
Gratia in eo non fuit vacua
hanc quærens apud DEVM, invenit & apud homines.
auxilia ejus avita adaugens Sagitta.
Pacem illi debent Benedictino Polonæ Scholæ
per scholasticos ejus conclusam Tractatus.
Quascunque enim conclusiones statuit
has doctissimo omnes argumento firmavit
Et ne privatos parietes tanti laboris testes haberet
publicè etiam propugnavit
In doctam arenam descendit toties

Quoties fuit provocatus:
Publicum enim amat Celſa Indoles
& viliora ingenia angulis delectantur.
NEO-DOCTOR
Domi & foris ſapere voluit
ubi dum docta argumentorum tela vibravit
agilitate Avitam ſuam Sagittam æmulante
in corda omnium direxit
Sicque palmam Gloriæ & corda ſemper in ſpolia tulit.

SVBLIMITAS
STYLI AUREI
Laborum Scholaſticorum
FRUCTUS.
Felix Diſcipulorum in Profeſſores
NEO-DOCTORIS
EDVCATIO

Metire NEO-DOCTORIS verticem
ut Diſcipulorum dignitatem cognoſcas
Qui de eruditione illorum contendis.
Pro multis Librôrum Capitibus hoc unumſuffecit omnibus
Ex quo Benedictina Religio gloriam, illi ſuam legerent eruditione
FRANCISCI DISCIPVLI ſunt
ſed non Minores
Iam enim Magni dum erudiunt vocantur,
ſublimi ingenio ita eminent
ut etiam in ſpecu Benedicti abſcondi non poſſint.
Qui ut volumen hoc doctis augeant Capitibus
Quo ordinem ſunt Profeſſi
Eodem Profeſſores recenſentur
A R. P. HVGO SIERAKOWSKI Lubinenſis
A R. P. HIERONYMVS SZYMANSKI Lubinenſis
A R. P. HYACINTHVS FALĘCKI Tynecenſis
A R. P. MELLITVS TOMASZEWSKI Lubinenſis
A R. P. BENEDICTVS FALĘCKI Tynecenſis
A R. P. AMANDVS IANOWSKI Tynecenſis
Secretarius Capituli

A R. P.

A R. P. BENIGNVS BALTHASAR CHYLINSKI Tynec:
Actuales Philosophiæ Professores & Lectores
Omnes isti ad mentem S. sapiunt Religionis
In his velut septem Columnis
Magna Benedictinæ Sapientiæ fundatur Domus
His suo honori Benedictino Polona prospicit Congregatio
Primus illorum HVGO
Nomine in signitus Cardinalitio
extra Purpuram
animo Principe insignis
Qui licet non sit de Sancto Victore
semper tamen triumphat
Alter HIERONYMVS
In Orbe literario in Circulis Philosophicis in Rota Cardinaliũ virtutũ
semper eminens
Dum Philosophiam cum laude docet mortem semper meditatur
quia sinistrum de se judicium non timet
Qui semper meretur pro gloria.
HIACYNTHVS
Per erudita folia crescens
Ipse sibi Corona
Quinimo
HYACINTHUS ingeniorum Lapis Lydius
Qualem Doctorales annuli in sui ornamentum desiderant
Cujus Pretium ille tantum non novit
Qui eruditionem ejus ignorat.
MELLITVS
Totus melleus
Oris & calami gemino prodigio
nil loquitur nisi Ambrosium
nil scribit nisi nectareum
Veritates Theologicas difficultates Philosophicas
digito ad oculum indicat
TOMASZEWSCIVS
Inter Spinas Philosophicas
nullum BENEDICTI acumen mentis
Quod rosam erudito ejus Capiti non porrigat in Coronam
AMANDVS
Tantum ingenio pollet
ut si sapientia iterum suam ædificaret Domum
Ideam & avitam ab eo Asciam postularet.

& quia Secretarius est
Proinde os sapientiæ
Supremusquè in Regno ejus Minister,
Claudit Discipulorum agmen
semper primo elogio dignus
BALTHASAR BENIGNUS
CHYLINSKI
Cujus benignum Nomen
Singularis in severioribus scientijs extollit profunditas
cui in humanioribus laudando
disertæ lingvæ non sufficiunt
Hic est enim ab oriente solis Thomistici BALTHASAR
qui quoties de Ortu & Interitu disceptavit
unum omnium oriebatur votum,
ut nunquam desineret in occasum.
His igitur Discipulis Doctrina quam sequerentur
quasi Helice aut Cynosura præivit
NEO-DOCTOR
In hos reflulsit quasi Sol in Clypeos aureos
ut reliqui Montes Congr: Ben. Polonæ
resplenderent ab eis.

PRETIVM
STYLI AUREI
Magnorum Meritorum
NEO-DOCTORIS
PRÆMIA.
HONORES IN RELIGIONE COLLATI.

Ad mensuram laboris
Datur alijs portio honoris
hìc prò magnis laboribus
Parva à Benedictinis FRANCISCO obtigit
Porciuncula
Beneficium nempè Lubinense
sed honor per avitas STARZENSCIO juratus Cruces
Eun-

Eundem Conventuali S. ANDREÆ
Iezoviensi auxit Præpositura
ut in fronte Dignitatum, ejus signatus Cruce
mereretur ab omnibus reverentiam.
non satis tamen fuit NEO-DOCTORI invenire hanc Crucem
sed ut exaltaretur, plurimum insudavit.
Cōstruxit Ædes, vindicavit Iura
suppellectilem auxit,
Optimè commissis præfuit Pastor
nec Conventualibus suis humanissimus defuit Pater.
Per quæ merita
etiam INFVLIS factus appetibilis
Cui ultro se ABBATIALIS SIECIECHOVIENSIS offerrebat
sed magno animo recusavit oblatam,
ne dum Caput Ejus stringeret; & mentem coarctaret
Infulis Majora molientem.
Metire quàm magna ejus felicitas!
Definitum est iterum rectè
ut Capituli Generalis Mogilnensis fieret Definitor
ubi quid quid definivit, subscripsit eruditio,
Virtus sigillavit.
Capitulum Generale nusquam melius sibi consuluit.
Quàm dum STARZENSCIVM votis concordibus elegit
VISITATOREM.
Visitavit ex munere Monasteria
Regni Poloniæ & M. D. Lithvaniæ
semper cum apparatu & plausu
Quia non sine virtutum comitatu
gratus ubique hospes magnum sui reliquit desiderium;
Crevit in immensum
NEO-DOCTORIS æstimatio
additum est virtuti pretium
Per Monasterij Lubinensis
PRIORATVM
In quo quantum pro honore Ordinis egerit
quàm Majora altioribus meditamentis cogitet
publica vox loquitur
ut melius audiatur, encomiastes conticescit.

DIGNITAS
STYLI AUREI
MITRA DOCTORALIS
Dotes in NEO DOCTORE Principes
CORONANS.

Reclude NEO-DOCTORI honoris Ædem
Avitis Tuis Clavibus
TYNECIVM
quàm ſplendido Dignitatum in meridie
etiam Doctoralis Tituli auctus ſplendore
ceu Solis Regiam
ingrediatur feliciter
ſubmitte verticem elevatum
TYNECENSIS PETRA
ut ad magna natus & cuivis honori
ex Dignitate reſponſurus
ad virtutes & Literarum decus extollatur
ut vel ita Promota ſatis Perſona
Supremam honoris Theologici Lauream aſſequatur:
Ergo ambiat eruditum Tuum NEO-DOCTOR verticem
Corona Doctoralis
tót ornata pretijs, quot ſudoris expolita gemmis!
involet manum Liber, Digitum Annulus,
tot ſcriptis & revolutis fatigatus voluminibus,
utriuſque enim munus volumina tractare & pennam
utrumque mereri ad gloriam.
Applaudit Tuæ Promotioni
JLLUSTRISSIMUS & REVERENDISSIMUS DNUS
D. CANTIUS IAKIELSKI
Divina vocatione
DVCALIS MONASTERII TROCENSIS
ABBAS
Præpoſitus Pioſunenſis
CONGREG: BENEDICTINO POLONÆ
PRÆSIDENS GENERALIS
Cujus ſemper ſolidè eruditum animum

eo cordis dilexit affectu
quo selectissima ingenia & Sapientes animas solet;
Ipse doctarum mentium tenerrima dilectio
IOANNES
Promotionis Tuæ grande incitamentum
Qui Te primus in Capitulo Generali Doctorandum conclusit.
Auget solemnitatem Actus hodierni
JLLUSTRISSIMUS & REVERENDISSIMUS DNUS
D. STANISLAVS
BENEDICTVS
BONCZA
BARTOSZEWSKI
DEI & S. SEDIS APLICÆ PROVIDENTIA
REGALIS ARCHICÆNOBII TYNECENSIS
ABBAS
ECCLESIÆ CATHEDRALIS CRACOVIENSIS
CANONICUS
Vir summæ virtutis Prudentiæ & authoritatis;
Magnus Tuæ eruditionis & literatorum
Æstimator,
evehique Te à Laureis Doctoralibus ad Infulas optat;
Sublimaris igitur excelso omnium judicio
ad Doctoralis Honoris Fastigium
ob mentis Tuæ meritique ingentis Celsitudinem
maximam tamen partem debes gratitudinis
Almæ Florentissimæq;
VNIVERSITATI CRACOVIENSI
sub Cujus Sceptris
Ingeniorum nactus es imperia
& Coronam.
quæ sicut magnis mentibus ita & earum
Coronis triumphat inexhausta
quam pridem Capiti Tuo
ingens æstimationis publicæ consensus
& par mentis decrevit gloria.
Debetur & Tibi reverentialis à NEO-DOCTORE adorea

D. PER;

PERILLUSTRIS REVERENDISSIME DOMINE

D. M. CASIMIRE PAŁASZOWSKI

Sacræ Theologiæ DOCTOR & PROFESSOR, Collega Major, Ecclesiarum, Cathedralis Cracoviensis CANONICE, Collegitæ OO. SS Crac: PRÆPOSITE, Parochialis in Czerniechow CVRATE, Scholarum Novodvorscianarū & Contubernii Hierosolimytani PROVISOR. Canonizationis B. IOANNIS CANTII PROCVRATOR, Librorum per Diæcesim Cracoviensem Ordinarie CENSOR.

PROMOTOR GRATIOSISSIME

Literatorum gemma, Ingeniorum amussis
& eruditæ gloriæ Apex.
è Cujus manibus Doctoralia
Insignia sumpsit.
Tibi optat ut innumeris Titulis dignus
per Fasces Literarios sumas honores
maximos.
sisq; tot annis superstes,
quot factis & scriptis superemines laudabilibus.
Et hoc est observantiæ
erga NEO-DOCTOREM monumentum
quod in præsentium solamen, in futurorum
æmulationem
Aureo Stylo
SVPER PETRA TYNECENSI
Quam solidavit firmatæ benevolentiæ Constantia,
Exaramus quod amor artifex docuit
quod splendidissimis auro Literis
adamantinam referri in Tabulam
Ædibus Honoris affigendam
Discipulorum gratitudo
Decrevit pronuntiavit & jussit.